DA
670
D7A54
UC SOUTHERN REGIONAL LIBRARY FACILITY

DORSET AND WORCESTERSHIRE.—Ancient Confirmation Deed relating to certain Lands formerly possessed by the ABBEY of SHAFTESBURY, 1818; Exemplification of a Decree relating to BROADWAY, in Worcestershire, 1819; and Ancient Deed relating to BROADWAY and PERSHORE FAIRS, 1819—in one thin 4to. vol. *boards*, (PRIVATELY PRINTED AT THE EXPENSE OF SIR T. PHILLIPPS, BART.) 10*s* 6*d*

Evesham, 1818-19

THE LIBRARY
OF
THE UNIVERSITY
OF CALIFORNIA
LOS ANGELES

Digitized by the Internet Archive
in 2007 with funding from
Microsoft Corporation

http://www.archive.org/details/ancientconfirmat00shafiala

An

Ancient Confirmation Deed,

Relating to

CERTAIN LANDS,

Formerly Possessed

By

The Abbey of Shaftesbury,

in the

COUNTY OF DORSET.

Evesham:—Printed by J. Agg.

1818.

DA
670
D7A54

An Ancient Deed,

&c.

HENRICUS, DEI GRATIA REX ANGLIÆ ET FRANCIÆ & DOMINUS HIBERNIÆ, Omnibus, ad quos presentes literæ pervenerint, salutem: Constat nobis per inspeccionem rotulorum Cancellariæ Domini Edwardi, nuper Regis Angliæ, tercii post conquestum, progenitoris nostri, quòd idem nuper Rex literas suas patentes fieri fecit in hæc verba: Edwardus, Dei gratiâ Rex Angliæ et Franciæ et Dominus Hiberniæ, Omnibus ad quos presentes literæ pervenerint, salutem, &c.

INSPEXIMUS quandam cartam quam Willelmus, quondam Rex Anglorum, progenitor noster, fecit Ecclesiæ Sanctæ Mariæ et Sancti Edwardi de Shaftesbury, in hæc verba: Cùm varii successores, incognitâ varietate vetustatis causâ, sæpe soleant statuta antecessorum suorum injustè pervertere, Ego Willelmus, Rex Anglorum, Anno ab Incarnatione Domini Millesimo octogesimo nono, secundo anno mei imperii, omnibus meis successoribus des. . . . . quoniam ego, propter justitiam et amorem Dei pro me & pro animâ patris mei Regis Willelmi et matris meæ, dono et concedo Ecclesiæ Sanctæ Mariæ et Sancti Edwardi de Sheftesbury, Eulariâ Abbissâ superstite, has terras subscriptas in elemosinâ, benè et liberè in perpetuum

629784

DEG 10.20.50

possidendas; Scilicet, Chelmentunam, quam dedit Serlo de Burci predictæ Ecclesiæ cum filiâ suâ moniali. Et duas hidas de Foxlegâ, quas dedit Rogerus Uthelai cum filiâ suâ moniali: Et dimidiam hidam de Fernaam, quam Eiulfus Vicecomes tenuerat de terrâ predictæ ecclesiæ, et post tandem reddidit eam eidem ecclesiæ cum filiâ suâ moniali in dominio possidendam. Et in Bremelegâ unam virgatam terræ, quam dedit Dunecan cum filiâ suâ moniali. Et quinque virgatas terræ de Selfant, quas Aluredus pincerna dedit cum filiâ suâ moniali.

✠ Signum Willelmi Regis Anglorum
✠ ——— Thomæ Archiepiscopi
✠ ——— Mauricii Londoniæ Episcopi
✠ ——— Walthelmi Wyntoniæ Episcopi
✠ ——— Johannis Batoniæ Episcopi
✠ ——— Roberti Cestrensis Episcopi
✠ ——— Roberti Herefordensis Episcopi
✠ ——— Tursteni Eastingburiensis Abbatis
✠ ——— Gundredi Roucestrensis Episcopi
✠ ——— Rainaldi Abhendunensis Abbatis
✠ ——— Willelmi Cerneliensis Abbatis
✠ ——— Rodgeri Abbatis de Monte Sancti Michælis

INSPEXIMUS etiam quandam aliam cartam, quam Ricardus, quondam Rex Angliæ, progenitor noster, fecit Abbatiæ Sancti Edwardi, et Mariæ Abbissæ ejusdem loci, in hæc Verba: RICARDUS,

Dei Gratiâ Rex Angliæ, Dux Normanniæ, Aquitaniæ, Comes Andegaviæ, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Justiciariis, Vicecomitibus, Ministris, et omnibus Ballivis, et fidelibus suis, salutem: Sciatis nos reddidisse, et presenti cartâ confirmasse Abbatiæ Sancti Edwardi, et Mariæ Abbissæ ejusdem loci, et omnibus successoribus suis in perpetuum, Totum Hundredum de Manerio de Bradeford, habendum, et tenendum, cum omnibus pertinenciis suis, et libertatibus, et omnibus liberis consuetudinibus suis, sicut prefata Abbatia, vel aliqua unquam Abbissa ejusdem loci melius, et liberius, et integrius illud hundredum habuit, et tenuit. Quare volumus, et firmiter precipimus, quòd prefata Abbatia, et prefata Maria Abbissa, et omnes successores ejus, habeant, et teneant totum prefatum hundredum, cum omnibus pertinenciis suis, libertatibus, et liberis consuetudinibus suis, benè, et in pace, liberè, et quietè, integrè, plenariè, et honorificè. Et prohibemus ne aliquis predictam Abbatiam, vel aliquam ejusdem loci Abbissam inde molestet vel disturbet. Testibus,

H. Dunolmiæ Episcopo	Johanne, fratre nostro
R. Bathoniæ Episcopo	Willelmo Marescal
H. Coventriæ Episcopo	Roberto de Watefeld
	Radulfo filio Godfredi

Data per manum Willelmi de Longo Campo, Cancellarii nostri Menevensis electi, apud Doure, septimo die Decembris, Anno

primo regni nostri. Is erat tenor cartæ nostræ in primo sigillo nostro, quod quidem aliquando perditum fuit, et dum capti essemus in Alemanniâ, in alienâ potestate constitutum mutatum est; hujus autem Innovacionis Testes sunt hii:

Phillippus Dunelmiæ Episcopo
Magr. Maug. Ebroic. Archidiaconus
Vivianus de Stagno Derebiensis Archidiaconus
J. Comes Moretoniæ, frater noster
R. Comes Cestriæ.
Willelmus Longespeye Comes Sarisburiæ

Data per manum G. Eliensis Episcopi, Cancellarii nostri apud Rupem And.... decimo die Septembris, Anno regni nostri decimo.

INSPEXIMUS cartam Domini Henrici, quondam Regis Angliæ proavi nostri, factam Anniciæ Abbissæ de Sancto Edwardo in hæc verba. HENRICUS, Dei grâtiâ Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Normanniæ, Aquitaniæ et Comes Andegaviæ Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, Justiciariis, Vice Comitibus, Prepositis, Ministris, et omnibus Ballivis, et fidelibus suis, salutem. Sciatis nos concessisse, & hâc cartâ nostrâ confirmasse, pro nobis et heredibus nostris, Anniciæ Abbissæ de Sancto Edwardo et omnibus aliis quæ pro tempore futuræ sunt ejusdem loci Abbissæ, quod ipsæ et Ecclesia sua de Sancto Edwardo in perpetuum quietæ sint de demandâ, quæ exigi solet de predictâ Abbissâ et ecclesiâ suâ, per nos et predecessores nostros Reges Angliæ, de servicio feodorum trium militum, et quartæ

partis, et sextæ partis feodi unius militis, quod eadem Abbissa non recognovit, et de omnibus arreragiis quæ exigebantur ab eis, occasione prædictæ demandæ de servicio feodorum trium militum, et quartæ partis, et sextæ partis feodi unius militis: Ita quod predicta Abbissa vel aliæ, quæ pro tempore futuræ sunt ejusdem loci Abbissæ, de cetero non respondeant nobis, aut heredibus nostris, nisi de servicio feodorum septem militum, tantum quod eadem Abbissa se debere recognovit. Quarè volumus, et firmiter precipimus, pro nobis et heredibus nostris, quòd predicta Abbissa de Sancto Edwardo, et omnes aliæ, quæ pro tempore futuræ sunt ejusdem loci Abbissæ, et ecclesia sua de Sancto Edwardo, quietæ sunt in perpetuum de demandâ predictâ quæ exigi solet de predictâ Abbissâ, et ecclesiâ suâ per nos et predecessores nostros Reges Angliæ, de servicio feodorum trium militum, et quartæ partis, et sextæ partis feodi unius militis, quod predicta Abbissa non recognovit, et de omnibus arreragiis, quæ exigebantur ab eis occasione predictæ demandæ de servicio feodorum trium militum, et quartæ partis, et sextæ partis feodi unius militis. Ita quod predicta Abbissa, vel aliæ quæ pro tempore futuræ sunt ejusdem loci Abbissæ, de cetero non respondeant nobis, aut heredibus nostris nisi de servicio feodorum septem militum, tantum quod eadem Abbissa se debere recognovit sicut predictum est. Hiis Testibus, Venerabilibus Patribus

P. Wintoniæ Episcopo

J. Bathoniæ Episcopo

R. Dunholmiæ Episcopo

J. Comite Lincolniæ, et Constabulario Cestriæ

S. de Segrave, Justiciario nostro,
Waltero de Lacy,
Hugone de Nevil,
Radulpho filio Nicholai,
Godefrido de Craucumb,
Johanne filio Philippi,
Thomæ de Heminegrave,
Galfrido de Cauz,
Johanne de Plesseto, et aliis.

Data per manum venerabilis Patris R. Cicestrensis Episcopi, Cancellarii nostri, apud Westmonasterium, quarto die Maii, Anno regni nostri decimo septimo.

INSPEXIMUS quasdam literas patentes ipsius proavi nostri, factas in hæc verba: HENRICUS, Dei gratiâ Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, et Dux Aquitaniæ, omnibus ad quos presentes literæ pervenerint, salutem, Quia accepimus per inquisitionem, quam per dilectum et fidelem nostrum Nicholaum de Turri, et socios suos, Justiciarios nostros ultimo itinerantes in Comitatu Wiltes; quòd Willelmus Lungespeye, quondam Comes Sarisburiæ, dum tenuit Castrum Sarum, primò destrinxit Mariam tunc Abbissam Shaftoniæ ad reparandum pontem Castri predicti, durante guerrâ in regno nostro, tempore Domini Johannis patris nostri, et quòd Nicholaus de Lustreshull, quondam Vicecomes noster Wiltes, tempore vacacionis ejusdem Abbaciæ, secundò destrinxit Moniales dictæ domûs, ad reparandum pontem predictum, per quam quidem

districcionem, ab eâdem domo cepit centum solidos, et etiam, quod Abbissa et Moniales ejusdem Abbaciæ non habent terram, redditum, aut aliquod tenementum, per quod eædem Moniales ad reparacionem predicti pontis, vel portæ predictæ teneantur: Nos eisdem Abbissæ et Monialibus gratiam facere volentes in hâc parte, exaccionem reparacionis pontis, et portæ predictorum eis duximus remittendam, volentes, et concedentes, pro nobis, et heredibus nostris, quantum in nobis est quòd predictæ Abbissa et Moniales, et earum successores, de predictâ reparacione decreto quietæ sint in perpetuum. In cujus rei testimonium has literas nostras fieri fecimus patentes. Teste me ipso, apud Westmonasterium, decimo nono die Martii, anno regni nostri quinquagesimo secundo.

INSPEXIMUS alias literas patentes ipsius proavi nostri eisdem Abbissæ et Monialibus factas in hæc verba. Henricus, Dei gratiâ Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, et Dux Aquitaniæ, Omnibus ballivis, et fidelibus suis, ad quos presentes literæ pervenerint, salutem: Volentes intuitu Dei, et pro salute animæ nostræ, et animarum antecessorum, et heredum nostrorum, dilectis nobis in Christo Abbissæ et Monialibus Sancti Edwardi Shaftoniæ gratiam facere specialem, Concessimus pro nobis et heredibus nostris, quod eadem Abbissa et successores ejus, Abbissæ domûs ejusdem, per literas suas patentes facere possint attornatum suum, vel attornatos suos ad sectas pro eis faciendas ad hundredas nostras de la Redelane et Whiteweye in comitatu Dorsetiæ. Ita videlicet quod attornatus et attornati illi, literas predictas patentes deferentes loco ipsius

Abbissæ et successorum ejus Abbissarum domûs ejusdem, ad hoc, sine difficultate vel occacione nostri, vel heredum nostrorum, vicecomitum, aut aliorum quorumcunque Ballivorum nostrorum, recipiantur in perpetuum. Et ideo vobis mandamus, quòd predictam Abbissam vel successores ejus Abbissas domûs predictæ contra hanc concessionem nostram non vexetis in aliquo, seu gravetis. In cujus rei testimonium has literas nostras fieri fecimus patentes. Teste me ipso, apud Westmonasterium, quinto die Martii, anno regni nostri quinquagesimo quarto.

INSPEXIMUS quasdam alias literas patentes ipsius proavi nostri prefatis Abbissæ et Monialibus, factas in hæc verba; Henricus, Dei gratiâ Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, et Dux Aquitaniæ, Omnibus, ad quos presentes literæ pervenerint, salutem: Quia accepimus per inquisicionem, quam per dilectum et fidelem nostrum Henricum de Monte Forti fieri fecimus, quòd dilectæ nobis in Christo Abbissa et Moniales Sancti Edwardi Shaftoniæ semper habuerunt Wreckum maris, quod evenire consuevit in manerio suo de Kyngeston; donec Lucas de Tany, tempore quo fuit Constabularius Castri nostri de Corf, predictum Wreckum dictis Abbissæ et Monialibus deforciavit: Nos, nolentes prefatis Abbissæ et Monialibus supra hoc injuriari set pocius intuitu Dei, et pro salute animæ nostræ, et animarum antecessorum, et heredum nostrorum gratiam facere volentes, in hâc parte concessimus eis, pro nobis et heredibus nostris, quòd eædem Abbissa et Moniales, et earum successores habeant decreto in perpetuum totum Wreckum

Maris quod evenire continget in manerio suo predicto, sine occacione, vel impedimento nostri, vel heredum nostrorum, Justiciariorum, aut aliorum Ballivorum nostrorum quorumcunque. In cujus rei testimonium, has literas nostras fieri fecimus patentes: Teste me ipso, apud Westmonasterium, septimo die Martii, Anno regni nostri quinquagesimo quarto.

Ac, per inspeccionem Ròtulorum Cancellariæ Domini Johannis, quondam Regis Angliæ, progenitoris nostri, nobis constat, quod predictus Johannes, progenitor noster, cartam suam fieri fecit eisdem Abbissæ et monialibus, in hæc verba. Johannes, Dei gratia Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Normanniæ, Aquitaniæ, et Comes Andegaviæ, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Justiciariis, Vicecomitibus, Prepositis, et omnibus Ballivis, et fidelibus suis, salutem: Sciatis nos intuitu justitiæ, et amoris Dei, concessisse, simul et reddidisse Deo, et ecclesiæ Sanctæ Mariæ, et Sancti Edwardi de Shaftesburiâ in dominio, liberè, et benè possidendas, terras illas omnes, quas in presencia Regis Henrici proavi nostri, et Baronum suorum, Emma Abbissa de Galinghes disracionavit; Videlicet contra Hardwinum filium Alnothi in Sokâ, quinque hidæ quæ fuerunt de dominio ecclesiæ Sancti Edwardi; contra Thomam cognatum Eulariæ Abbissæ in Stok, una hida de dominio; in Etteworth una hida et dimidia; in Braleston, una hida et una virgata de dominio; in Ferne, duo hidæ in dominio; in Essegravâ, una hida de dominio; contra Turstinum filium Reinfridi et fratres ejus, in Kelmeton una hida

quæ fuit data cum filiâ Serlonis de Burseye; In Gersiz., duo hidæ de dominio, quæ fuerunt datæ cum quâdam monachâ Eluinâ nomine; In Brideserd, duo hidæ de dominio; in Tarentâ, una hida de dominio, quæ fuit data cum filiâ Garmundi; in Dunheued, unum molendinum de dominio: contra Osmundum filium Godescalli, in Lodewell, una hida et unum molendinum in dominio: contra Picot de Burgat, in Lidinton, quinque hidæ in dominio: contra Rogerum Walspaill, in Hacche, duo hidæ de dominio: contra Aluredum de Roxelegh, una hida et tresvirgatæ quæ fuerunt datæ cum filiâ Rogeri de Berkell: contra uxorem Willelmi de Cheseburn et filios ejus, dimidia hida de dominio; in Seluehant, quinque virgatæ, quæ fuerunt datæ cum filiâ Aluredi Pincernæ. Concedimus etiam duas hidas in Fosteburiâ, quas dedit Goscelinus de Rule cum filiâ sua; in Ilaud, duas hidas quas dedit Drogo de Monte Acuto cum filiâ suâ; et dimidiam hidam de Farneham, quam Aiulfus vicecomes tenuerat de terrâ predictæ ecclesiæ, Et post tandem cum filiâ suâ moniali illam eidem predictæ ecclesiæ reddidit.. Et in Blaneford unam hidam et dimidiam, quam dedit Ayulfus camerarius, pro animâ uxoris suæ; Et in Bradeford et Budet unam hidam et dimidiam, quam emit Emma Abbissa de Satono et filiis suis; Et in Brunelegh unam virgatam quam dedit Dunekanus cum filiâ sua: Et ecclesiam de Torinton cum terrâ adjacente eidem ecclesiæ, et decimis. Et parvam Weram, quam dedit Odo filius Gamelini, cum duabus filiabus suis. Et decimas de dominio Ricardi de Sancto Claro de Wereham, quam ipse dedit cum filiâ suâ: Et in eâdem villâ triginta acras de suo dominio,

Et Monasterium de Kineliâ cum terrâ et decimâ ei adjacente, quod Ernaldus de Hesding dedit cum quâdam suâ cognatâ, Et Capellam de Brocton cum terrâ et decimâ quam Gundredus dedit cum quâdam cognata suâ Albredâ de Bosco Roardi. Hæc omnia Deo et ecclesiæ Sanctæ Mariæ et Sancti Edwardi quietè, et libere, in perpetuum possidenda, concedimus, pro salute animæ nostræ et patris et animæ matris nostrius et antecessorum nostrorum sicut ea Emma Abbissa diracionavit. Concedimus eidem ecclesiæ omnes libertates, et liberas consuetudines, et quietancias, quas habuit tempore Henrici Regis proavi nostri, et sicut eas unquam melius habuit, sicut carta Henrici Regis Patris nostri, quam inde habet rationabiliter testatam Reddidimus etiam, et presenti cartâ nostrâ confirmavimus, Abbatiæ Sancti Edwardi, et Mariæ Abbissæ ejusdem loci, et omnibus successoribus suis in perpetuum, totum Hundredum de manerio de Bradeforde, habendum, et tenendum, cum omnibus pertinenciis suis, et libertatibus, et liberis consuetudinibus suis, sicut prefata Abbatia, vel aliqua unquam Abbissa ejusdem loci, melius et liberius, et integrius illud Hundredum habuit, et tenuit. Quare volumus etiam, quod prefata Abbatia, et prefata Maria Abbissa . . . . . amita nostra et omnes successores ejus habeant, et teneant totum prefatum Hundredum, cum omnibus suis libertatibus, et liberis consuetudinibus suis, bene, et in pace, liberè, et quiete, plenariè, integre, et honorificè : Et prohibemus ne aliquis predictam Abbaciam, vel aliquam ejusdem loci Abbissam inde molestet vel disturbet, sicut carta

Regis Ricardi, fratris nostri, quam inde habet rationabiliter testatam. Testibus

Domino H. Cant. Archiepiscopo
Philippo Dunolmiæ Episcopo
G. filio Petri Comite Essex
R. Comite Cestriæ
Comite D. D.
Comite Rogero Bigot
Comite Alberico
Roberto filio Rogeri
R. Constabulario Cestriæ
Sehero de Quency
Roberto filio Walteri
Willelmo Albeny

Data per manum H. de Well.: Archidiaconi Well., apud Norh. vicesimo tertio die Maii, anno regni nostri septimo.

INSPEXIMUS insuper quandam cartam, quam Ricardus, quondam Comes Cornubiæ, fecit eisdem Abbissæ et Monialibus, in hæc verba. Universis Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerint, Ricardus Comes Cornubiæ salutem in Domino. Noveritis nos dedisse, concessisse, et hâc presenti cartâ nostrà confirmasse dominæ Agneti, Dei gratià Abbissæ Sancti Edwardi

Shaftesburiæ, et Abbissis ei succedentibus, ac ejusdem loci conventui, pro nobis, et heredibus nostris, vel assignatis in perpetuum, decem solidos redditûs, tum in manerio nostro de Merâ, de feodo quod Petrus de Hacche tenet de nobis in manerio predicto de Merâ, per manum dicti Petri, et per manus illorum, qui dictum feodum tenebunt, dictæ Abbissæ et sibi succedentibus Abbissis solvendos in perpetuum, quos quidem solidos dictus Petrus, et antecessores sui, qui dictum feodum tenebant, nobis et antecessoribus nostris reddere solebant, Videlicet, ad Natale Domini, duos solidos sex denarios; ad Pascha, duos solidos sex denarios; ad Nativitatem Beati Johannis Baptistæ, duos solidos sex denarios; et ad Festum Sancti Michaelis, duos solidos sex denarios: pro pasturâ de Pollea, quam, de voluntate, et consensu dictæ Abbissæ, et ejusdem loci conventûs, inclusimus in parco nostro de Merâ, videlicet a Novâ Haiâ dicti Parci, usque ad vetus fossatum, quod priùs fuit divisa inter dictum Comitem et dictam Abbissam. Salvis tam nobis et heredibus nostris, vel assignatis, gardis, releviis, et omnibus aliis serviciis dictum feodum spectantibus. Volumus etiam pro nobis et heredibus nostris, vel assignatis, quod dictus Petrus, et sibi succedentes, dictum feodum tenentes, dictæ Abbissæ, et sibi succedentibus Abbissis fidelitatem faciant in perpetuum, ad dictum redditum solvendum terminis prenominatis absque impedimento aliquo, vel contradiccione. Nos, vero, et heredes nostri, vel assignati, dictæ Abbissæ, et sibi succedentibus Abbissis, et ejusdem loci conventui, dictum redditum contra omnes mortales warantizabimus in perpetuum; ut, autem, hæc nostrius donacio, conces-

sio, et cartæ nostræ confirmacio, firmitatis robur optineat in perpetuum, hoc presens scriptum sigillo nostro fecimus communiri Hiis testibus.

Dominis Stephano Lungespeè,
Willelmo de Montague,
Galfrido de Forstel,
Ricardo de Haselden,
Ricardo de Seles, } Militibus.
Waltero Galun,
Eudone de Stanton,
Galfrido de Pimperliegh, et aliis.

INSPEXIMUS, etiam, quandam cartam, quam Willelmus Lungespee fecit eisdem Abbissæ et Monialibus, in hæc verba: Sciant presentes et futuri, quod ego Willelmus Lungespee dedi, et concessi, et hâc presenti cartâ meâ confirmavi, pro animabus antecessorum meorum, Deo, et ecclesiæ beatæ Mariæ, et Sancti Edwardi de Shaftesburiâ, et Agneti Lungespee, Abbissæ, et Conventui ejusdem loci, et eisdem succedentibus, in puram et perpetuam elemosinam, unam placeam in villâ meâ de Polâ, illam scilicet, quæ se extendit versus boream et mare, juxta viam proximam placeæ Reginaldi le Kom, quæ continet in se longitudinem viginti quatuor perticatûs, ex utraq parte, et latitudinem sex perticatûs, habendam et tenendam de me, et heredibus meis, dictis Abbissæ, et Conventui, et eisdem succedentibus, liberè, bene, in pace,

integre, et in perpetuum, et quietam, et solutam ab omni servicio sectæ Curiæ meæ, et omni exaccione, et seculari demandâ. Et ego vero Willelmus Lungespee, et heredes mei, dictam placeam inedificatam, et edificatam, dictis Abbissæ, et conventui, et eisdem succedentibus, cum pertinenciis omnibus, libertatibus, et liberis consuetudinibus usitatis, et usitandis, in villâ meâ de Polâ, contra omnes gentes tenementa defendere, et Warantizare in perpetuum: ut, autem, hæc mea donacio, concessio, et Warantizatio, perpetuâ gaudeat firmitudine, presentem cartam sigilli mei munimine roboravi. Hiis testibus

Dominis Henrico De la Mare,
Ricardo Lungespee, } Militibus.
Everardo le Treys,
Domino Radulfo de Anguis.
Thoma Makerel.
Reginaldo le Kom.
Petro de Sauseye.
Magistro Waltero Salsario: et multis aliis.

Nos, autem, donaciones, concessiones, et confirmationes predictas ratas habentes, et gratas eas pro nobis, et heredibus nostris, quantum in nobis est, acceptamus, ratificamus, approbamus, et dilectæ nobis in Christo Johannæ Furmage, nunc Abbissæ, et Monialibus loci predicti, et successoribus suis, tenore presencium concedimus, et confirmamus, prout cartæ et literæ predictæ

rationabiliter testantur, et prout eædem Abbissa et Moniales, et earum predecessores, terras et tenementa predicta hactenus tenuerunt, et libertatibus predictis rationabiliter uti, et gaudere consueverunt. In cujus rei testimonium, has literas nostras fieri fecimus patentes. Teste me ipso, apud Westmonasterium, vicesimo primo die Aprilis, anno regni nostri Angliæ quadragesimo quinto, regni vero nostri Franciæ tricesimo secundo: Nos autem, pro eo quod literæ predictæ casualiter sunt amissæ, sicut coram nobis in Cancellariâ nostrâ sufficienter est testificatum, tenorem irrotulamenti literarum predictarum, ad requisicionem nunc Abbissæ, et Conventûs loci predicti, duximus exemplificandum per presentes: In cujus rei testimonium, has literas nostras fieri fecimus patentes: Teste me ipso, apud Westmonasterium, sexto die Julii, anno regni nostri vicesimo.

SELBY.

Examinata per Johannem Stopyndon
et Ricardum Selby, clericos.

In anno secundo Dominæ Edithæ Bonham Abbisæ perquisicio istius munimenti constabat decem marcis.

COPY

of

An Exemplification

of a

DECREE

Relating to

BROADWAY,

In Worcestershire.

Evesham:—Printed by J. Agg.

1819.

Copy of a Decree,

&c.

HENRICUS, DEI GRATIA REX ANGLIÆ, FRANCIÆ, ET DOMINUS HIBERNIÆ, Omnibus, ad quos presentes literæ pervenerint, salutem. Sciatis, quod nos Recordum & processum cujusdam Assisæ novæ disseisinæ, inter Edmundum, Abbatem de Pershore, et Johannem Stanley Armigerum, et Elizabetham uxorem ejus, et Robertum Molyneux, nuper captæ, quem coram nobis in Cancellariam nostram venire fecimus, Justiciariis nostris de Banco misimus, quorum tenor sequitur in hæc verba: Placita apud Westmonasterium, coram Johanne Prysot, et sociis suis, Justiciariis Domini Regis de Banco, de termino Sancti Hilarii, anno regni Regis Henrici sexti, post conquestum tricesimo sexto, Rotulo CCCXL; Dominus Rex mandavit Justiciariis suis hoc breve suum clausum in hæc verba: Henricus, Dei gratiâ Rex Angliæ, et Franciæ, et Dominus Hiberniæ, Justiciariis suis de Banco, salutem: Recordum & processum assisæ novæ disseisinæ, quæ inter Edmundum, Abbatem de Pershore, et Johannem Stanley Armigerum, et Elizabetham uxorem ejus, et Robertum Molyneux, summonita fuit et capta coram Ricardo Byngham, et sociis suis,

Justiciariis nostris ad assisas in comitatu Wygorniæ capiendas assignatis apud Wygorniam per breve nostrum, de tenemento in Bradwey, quem coram nobis in Cancellariam nostram venire fecimus, mandantes, quod, inspectis recordo & processu predictis, ulterius inde ad prosecutionem ipsius Abbatis fieri faceret, quod de jure et secundum legem et consuetudinem regni nostri Angliæ fuerit faciendum. Teste me ipso, apud Westmonasterium, octavo die Februarii, anno regni nostri tricesimo sexto. Et tenor brevis, per quod Dominus Rex recordum et processum unde in predicto brevi fit mencio coram eo venire fec. . . . . sequitur in hæc verba: Henricus, Dei gratiâ Rex Angliæ, et Franciæ, et Dominus Hiberniæ, dilecto et fideli suo Ricardo Byngham, salutem: Quia quibusdam certis de causis certiorari volumus, supra recordo et processu assisæ novæ disseisinæ, quæ inter Edmundum, Abbatem de Pershore, et Johannem Stanley Armigerum, & Elizabetham uxorem ejus, et Robertum Molyneux summonita fuit, et capta coram vobis, et sociis vestris, Justiciariis nostris, ad assisas in Comitatu Wygorniæ capiendas assignatis apud Wygorniam per breve nostrum, de tenemento in Bradwey; vobis mandamus quod si. . . . . inde redditum sit tunc recordum & processum ejusdem assisæ cum omnibus ea tangentibus, nobis in Cancellariam nostram, sub sigillo vestro, distinctè & aptè sine dilacione mittatis, et hoc breve; Teste me ipso, apud Westmonasterium, vicesimo die Januarii, anno regni nostri tricesimo sexto, Indorsamentum vero ejusdem brevis sequitur in hæc verba: Responsio Ricardi Byngham, Justiciarii infra nominati Recordum & processum assisæ infra

specificatæ, cum omnibus ea tangentibus, Domino Regi in Cancellariam suam sine dilacione mitto; prout..... mihi precipitur. Et tenor Warrantiæ attornati pro predicto Abbate in assisam predictam sequitur in hæc verba. Wygornia Scilicet, Edmundus, Abbas de Pershore, polo suo Thoma Pachet, versus Johannem Stanley Armigerum, et Elizabetham uxorem ejus, et Robertum Molyneux, de placito assisæ novæ disseisinæ &c. Et tenor literarum patencium assisæ predictæ, sequitur in hæc verba. Henricus, Dei gratiâ Rex Angliæ, et Franciæ, et Dominus Hiberniæ, dilectis et fidelibus suis Ricardo Byngham, et Ricardo Chokke, salutem. Sciatis, quod constituimus vos Justiciarios nostros, unà cum hiis, quos vobis associatos ad assisam novæ disseisinæ capiendam, quam Edmundus, Abbas de Pershore, arraniavit coram nobis per breve nostrum, versus Johannem Stanley Armigerum, et Elizabetham uxorem ejus, et Robertum Molyneux Armigerum, de tenemento in Bradwey. Et ideo vobis mandamus, quòd, ad certos diem et locum quos ad hac..... illam capiatis..... inde quod ad Justiciarios pertinet, secundum legem et consuetudinem regni nostri Angliæ; salvis nobis amerciamentis inde provenientibus, mandavimus enim Vicecomiti nostro Wygorniæ, quòd ad certos diem & locum quos ei scire faciamus assisam illam coram vobis venire faciatis. In cujus rei testimonium, has literas nostras fieri fecimus patentes; Teste me ipso, apud Westmonasterium, vicesimo septimo die Junii, anno regni nostri tricesimo quinto. Tenor etiam brevis originalis assisæ predictæ, sequitur in hæc verba: Henricus, Dei gratia Rex Angliæ, & Franciæ, et Dominus Hi-

berniæ, Vicecomiti Wygorniæ, salutem; Questus est nobis Edmundus, Abbas de Pershore, quòd Johannes Stanley Armiger, & Elizabeth uxor ejus, et Robertus Molyneux Armiger, injuste & sine indicio, disseisiverunt eum de libero tenemento suo in Bradwey post . . . . . Domini Henrici Regis, filii Regis Johannis in Vascon. Et ideo tibi percipimus, quòd, si predictus Abbas fecit te securum de clameo suo p. . . . tunc facere tenementum illud reseisitum de catallis, quæ in ipso capta fuerunt, et ipsum tenementum cum catallis essein pace usque ad certum diem, quem dilecti & fideles nostri Ricardus Byngham, & Ricardus Chokke tibi scire facient Et interim fac duodecim liberos & legales homines de vicineto illo, videre tenementum illud, et nomina eorum imbreviari Et summonere eos per bonas summonitiones quod tunc sint coram prefatis Ricardo, et Ricardo, et hiis, quos sibi assignatos ad certum locum, quem eidem Ricardus & Ricardus tibi scire facient; parati inde facere recognitionem: Et pone per vadium et salvos plegii predictos Johannem, Elizabeth, et Robertum, vel ballivos suos (si ipsi inventi non fuerint,) quòd tunc sint ibi audire illam recognitionem: Et habeas ibi summonita nomina plegia et hoc breve: Teste me ipso, apud Westmonasterium, vicesimo septimo die Junii, anno regni nostri tricesimo quinto. Et tenor indorsamenti ejusdem brevis sequitur in hæc verba. Plegii de pace Willielmus Hunt. Ricardus Penne, Fulco Stafford Armiger Vice comes; Johannes Stanley, et Elizabeth uxor ejus, & Robertus Molyneux infranominati nichil habent, nec aliquis eorum aliquid habet in balliva mea, per quod possint vel potest attachiare, nec habent ballivos,

nec aliquis eorum habet ballivum, nec sunt inventi, nec aliquis eorum est inventus in eâdem. Et quo ad sumendos duodecim liberos et legales homines, secundum formam istius brevis, execucio inde facta est, prout patet in quodam panello huic brevi consuto. Et tenor panelli eidem brevi consuti, sequitur in hæc verba. Panellum pro Abbate de Pershore: Normannus Washeborne, Armiger; Thomas Corbet, Armiger, Jurator; Willielmus Lygon, Armiger, Jurator; Willielmus Jenett, Jurator; Johannes Crabbe, Jurator; Willielmus Rumpney, Jurator; Johannes Langeston, Jurator; Willielmus Bukke, Jurator; Johannes Chaumbre, Jurator; Henricus Huyde, Jurator; Ricardus Turburvile, Jurator; Johannes Mouselowe, Jurator; Henricus Dyson, Jurator; Johannes Dukes; Robertus Hanley; Willielmus Roose; Willielmus Sambache; Johannes Ylmyndon; Johannes Wallshe, de Aston; Johannes Turbey; Johannes Spechesley; Ricardus Wythe; Johannes Wythe; Ricardus Acton, de Acton; Ricardus Rudyng; Johannes Walle; Walterus Payn, de Offenham summâ; Johannes Coke; Henricus Day m. . . . sum. . . . ; Johannes Hervy; Ricardus Dore. Et tenor Recordi Assisæ predictæ, sequitur in hæc verba. Placita Assisarum apud Wygorniam, coram Ricardo Byngham, et Ricardo Chokke, Justiciariis Domini Regis ad Assisas in comitatu Wygorniæ capiendas assignatis, die Lunæ proximo ante festum Sanctæ Margaretæ Virginis, Anno regni Regis Henrici sexti post conquestum tricesimo quinto: Wygornia scilicet: Assisa ven. . recogn. . , si Johannes Stanley Armiger, et Elizabeth uxor ejus, et Robertus Molyneux, injustè &c. disseis. . Edmundum, Abbatem de Pershore,

de libero tenemento suo in Bradwey, post p.... &c. Et unde idem Abbas, per Thomam Pachet, attornatum suum, queritur, quod disseisit eum de mille acris pasturæ, et viginti acris bosci, vocatis Buskell, cum pertinenciis &c. Et predicti Johannes, Elizabeth, et Robertus, non venerunt set quidam Robertus Rokke respondit pro eis, tangen.... eorum ballivus. Et pro eis dicit, quod pastura et boscus predicti, in visu positi, et in querelâ predictâ specificati, cum pertinenciis, scituati sunt, et jacent super Cotteswold, ex parte occidentali cujusdam antiqui fossi, sive fossati, vocati Seynt Adboroughes Dyche, alias Meredyche; ac contigui, et jacentes eidem fossato existunt, et similiter extendunt se in longitudine, a quodam loco, vocato Seven Welles et Haylesslade, ex parte australi, usque ad viam regiam, vocatam London Way, ducentem a Villâ de Bradwey usque villam de Boorton ex parte boreali &c. Et idem ballivus, pro prefatis Johanne, Elizabeth, et Roberto, ulterius dicit, quod pastura et boscus predicti, in visu recognitionis assisæ predictæ positi, et in querelâ predictâ specificati, cum pertinenciis, sunt in Villâ de Chepyng Campden, in comitatu Gloucestriæ, et non in dictâ villâ de Bradwey, prout per breve predictum supponitur. Et hoc pro eisdem Johanne, Elizabeth, et Roberto, paratus est verificare: unde petit inductionem de brevi &c. Et si &c. tunc idem Ballivus dicit, quòd predicti Johannes, Elizabeth, & Robertus, nullam injuriam seu disseisinam prefato Abbati inde fecerunt; Et de hoc ponit se super Assisam &c. Et predictus Abbas dicit, quòd benè verum est, quòd pastura et boscus predicti in querelâ superius specificati, et in visu recognitionis hujus Assisæ

positi, scituati sunt, et jacent super Cotteswolde, ex parte occidentali dicti antiqui fossi sive fossati, vocati Seynt Adboroughes dyche, alias dicti Merediche; ac contigui et jacentes eidem fossato existunt, et similiter extendunt se in longitudine a dicto loco, vocato Seven Welles et Haylesslade, ex parte Australi, usque ad communem viam regiam, vocatam London Wey, ducentem a dictâ villâ de Bradwey, usque dictam villam de Boorton, ex parte boreali; prout predictus ballivus supponit sed dicit, quòd predicti pastura et boscus in visu positi, et in querelâ predictâ specificati, cum pertinenciis, sunt in predictâ Villâ de Bradwey. Et hoc paratus est verificare: unde petit..... et quod precedatur inde ad capcionem Assisæ &c..... Capiatur inde inter eos Assisæ, &c. Recogn.... ven.... qui ad veritatem de premissis dicendi dilecti, triati, et jurati, dicit super sacrum suum, quòd pastura et boscus predicti in eorum visu positi, et in querelâ predictâ specificati, cum pertinenciis sunt in dictâ villâ de Bradwey, prout per breve predictum supponitur, et non in dictâ villa de Chepyng Campden, in dictâ comitatu Gloucestriæ, prout predictus Abbas superiùs allegavit: quòd quoque idem Abbas fuit seisitus de pasturâ, et bosco predictis, cum pertinenciis, ut in jure domùs et ecclesiæ suæ, sanctæ Edburgæ de Pershore, quousque predicti Johannes, Elizabeth, et Robertus, ipsum Abbatem inde injustè, & sine indicio set non vi nec armis disseisiverunt. Et assident dampna ipsius Abbatis, tam occasione disseisinæ predictæ, quam pro.... sis et custagiis suis, per ipsum circa sectam suam in hâc parte appositam ad quadraginta solidos; Recognitio quæsita quale jus predictus Abbas habet in pasturâ et

bosco predictis, cum pertinenciis, et quis predecessorum suorum fuit inde seisitus ut de jure ecclesiæ suæ predictæ, et tempore cujus Regis: Et si habeatur aliqua fraus, sive collusio, inter predictum Abbatem, et prefatos Johannem, Elizabeth, et Robertum, in hâc parte, contra formam statuti, quo cavetur, ne terræ seu tenementum ad manum mortuam deveniunt quoquo modo, prolocuti dicunt super sacrum suum, quod predictus Abbas & omnes predecessores sui Abbates ecclesiæ predictæ, a tempore cujus contrarii memoria hominum non existit, successivè fuerunt seisiti de pasturâ et bosco predictis, cum pertinenciis ut de jure ecclesiæ suæ predictæ, quousque predicti Johannes, Elizabeth, & Robertus, ipsum nunc Abbatem inde injusti, et sine indicio, in formâ predictâ disseisiverunt. Et dicit, quòd quidam Gervasius, nuper Abbas ecclesiæ predictæ, predecessorum predicti nunc Abbatis, fuit seisitus de pasturâ et bosco predictis, cum pertinenciis, in dominico suo ut de feodo, & jure ecclesiæ suæ predictæ, tempore Domini Henrici, nuper Regis Angliæ, filii Regis Johannis. Et quòd non habetur aliqua fraus, sive collusio, inde inter ipsum nunc Abbatem, et prefatos Johannem, Elizabeth, et Robertum, contra formam statuti predicti, prolocutus Jo. . . . conscius est, quòd predictus nunc Abbas recuperet seisinam suam de pasturâ et bosco predictis, cum pertinenciis, per visum recognitionis Assisæ predictæ, et dampna sua predicta ad p. . . quadraginta solidos per Recognitionem predictos in formâ predictâ Assessâ. Et iidem Johannes, Elizabeth, et Robertus, in unam &c. Et super hoc, predictus Abbas gratis remittit hic in Curiâ, prefatis Johanni, Elizabeth, & Roberto,

dampna sua predicta &c. Jo. . . . iidem Johannes Elizabeth et Robertus de dampnis illis sint quieti, et eant inde sine die &c. Nos autem tenorem Recordi predicti, ad requisicionem predicti Abbatis, duximus exemplificandum per presentes: In cujus rei testimonium, sigillum nostrum ad brevia de Banco predicto sigillandum ordinatum presentibus apponi fecimus. Teste Johanne Prysot, apud Westmonasterium, sexto die Februarii, Anno Regni nostri tricesimo sexto.

CUMBERFORD.

COPY

of an

ANCIENT DEED

Relating to

Broadway and Pershore

FAIRS,

In Worcestershire.

Evesham:—Printed by J. Agg.

1819.

Copy of an Ancient Deed,

&c.

HENRICUS, DEI GRATIA REX ANGLIÆ, ET FRANCIÆ, ET DOMINUS HIBERNIÆ, Omnibus, ad quos presentes literæ pervenerint, salutem.

INSPEXIMUS cartam Domini Henrici, quondam Regis Angliæ progenitoris nostri, factam in hæc verba: Henricus, Dei gratiâ Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Normanniæ, Aquitaniæ, et Comes Andegaviæ, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Justiciariis, Forestariis, Vicecomitibus, Præpositis, et omnibus Ballivis, et fidelibus suis, salutem, Sciatis, nos, intuitu Dei, et pro salute animæ nostræ, et pro animabus antecessorum, et heredum nostrorum, concessisse, et hâc presenti cartâ confirmasse Deo, et beatæ Mariæ, et beatæ Edburgæ de Persorâ, et Abbati, et Monachis ibidem Deo servientibus, quòd idem Abbas et Monachi habeant in perpetuum, unam feriam singulis annis apud Persoram, per quatuor dies duraturam; scilicet: In vigiliâ, et in die Sanctæ Edburgæ in estate, et per duos dies proximè sequentes. Ita tamen quòd predicta feria non sit ad

nocumentum vicinarum feriarum. Quare volumus et firmiter precipimus, quòd predicti Abbas et Monachi de Persorâ habeant et teneant predictam feriam, cum omnibus pertinenciis suis, bene, et in pace, liberè, et quietè, et integrè, cum omnibus libertatibus, et liberis consuetudinibus ad hujusmodi feriam pertinentibus, sicut predictum est. Hiis testibus, Eustachio, London; Petro, Winton: Joscelino Bathon; Ricardo Sarum, Episcopis: Huberto de Burgo, Justiciario nostro; Gilberto de Clare, Comite Gloucestriæ et Hertfordiæ Ricardo de Argenteom et Willelmo de Eyneford, Senescallis nostris; Henrico de Capella, et aliis. Data per manum Radulphi Cicestriæ Episcopi, Cancellarii nostri, apud Westmonasterium, quarto die Februarii, Anno regni nostri undecimo.

INSPEXIMUS etiam quandam aliam cartam ejusdem progenitoris nostri, similiter factum, in hæc verba. Henricus, Dei gratiâ Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Normanniæ, Aquitanniæ, et Comes Andegaviæ Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, Justiciariis, Vice comitibus, Prepositis, Ministris, et omnibus Ballivis, et fidelibus suis, salutem; Sciatis nos concessisse, et hâc cartâ nostrâ confirmasse dilecto nobis in Christo fratri, Elerio Abbati de Persourâ, et ejusdem loci Conventui, quòd ipsi, et successores sui in perpetuum, habeant liberam Warennam in omnibus Dominicis terris suis maneriorum suorum de Persoura, Leyâ, Mathine, Andremanneston, Bradweya, Koulega Hauekesbur et Wanbergâ, cum eorum Hamelettis, et omnibus suis pertinenciis, dum tamen terræ illæ non sint infra metas forestæ

nostræ, Ita quod nullus intret terras illas ad fugandum in eis, vel ad aliquid capiendum quod ad Warennam pertineat, sine licentiâ et voluntate ipsorum Abbatis et Conventûs, vel successorum suorum, super foris facturam nostram decem librarum. Concessimus etiam eisdem Abbati et conventui, quòd ipsi, et successores sui, in perpetuum habeant, unum mercatum singulis septimanis per diem Veneris apud predictum manerium de Bradeweya. Et quod habeant ibidem unam feriam singulis annis, duraturam per tres dies; videlicet, in vigiliâ in die et in crastino Nativitatis beati Johannis Baptistæ, nisi mercatum illud et feria illa sint ad nocumentum vicinorum mercatorum, et vicinarum feriarum. Quare volumus et firmiter precipimus, pro nobis et heredibus nostris, quòd predicti Abbas et Conventus, et successores sui, in perpetuum, habeant liberam Warennam in omnibus dominicis terris suis maneriorum suorum de Persoura, Leya, Mathine, Andremanneston, Bradweya, Koulega, Hauekesbur, et Wanberga, cum eorum hamelettis, et omnibus suis pertinenciis, dum tamen terræ illæ non sint infra metas forestæ nostræ: Ita quod nullus intret terras illas ad fugandum in eis, vel ad aliquid capiendum quod ad Warennam pertineat, sine licentiâ et voluntate ipsorum Abbatis et Conventus, vel successorum suorum, super foris facturam nostram decem librarum, Concessimus etiam eisdem Abbati et Conventui, quod ipsi, et successores sui in perpetuum, habeant unum mercatum singulis septimanis, per diem Veneris apud predictum manerium de Bradeweya, Et quod habeant ibidem unam feriam singulis annis, duraturam per tres dies; Videlicet in vigiliâ in die & in

crastino Nativitatis beati Johannis Baptistæ, cum omnibus libertatibus, et liberis consuetudinibus ad hujusmodi mercatum et feriam pertinentibus, Nisi mercatum illud et feria illa sint ad nocumentum vicinorum mercatorum, et vicinarum feriarum, sicut predictum est. Hiis testibus, Radulfo filio Nicholai, Magistro Willelmo de Kilkenny Archidiacono Coventriæ, Petro de Rivall, Roberto de Mustegros Roberto Waleran, Stephano Bauthan, Willelmo de Chæny, Roberto de Norreys, Rogero de Lokinton, et aliis. Data per manum nostram, apud Windlesoram, octavo die Augusti, Anno regni nostri tricesimo quinto.

INSPEXIMUS etiam cartam confirmacionis Domini Edwardi, filii Edwardi primi, progenitoris nostri, factam in hæc verba. Edwardus, Dei gratiâ Rex Angliæ Dominus Hiberniæ, et Dux Aquitanniæ, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, Justiciariis, Vicecomitibus, Prepositis, Ministris, et omnibus Ballivis, et fidelibus suis, Salutem.

INSPEXIMUS cartam, quam celebris memoriæ Dominus Henricus, quondam Rex Angliæ, Avus nostri, fecit Deo et Sanctæ Mariæ, et beatæ Edburgæ Virgini, et monasterio de Pershore, in hæc verba: Henricus, Dei gratiâ Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Normanniæ, Aquitanniæ, et Comes Andegaviæ, Archiepiscopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, Justiciariis, Vicecomitibus, Prepositis, Ministris, et omnibus Ballivis, et fidelibus suis, salutem; Sciatis nos concessisse, et hac presenti cartâ

confirmasse Deo et Sanctæ Mariæ, et beatæ Edburgæ Virgini, et Monasterio de Pershore, pro salute animæ nostræ, et antecessorum suorum, quòd Abbas et Monachi teneant et habeant omnes terras et possessiones suas in Comitatibus Wygorniæ. et Gloucestriæ, liberas, et quietas ab omnibus demandis, et taillagiis, placitis et querelis, occasionibus et difficultatibus, Geldis et Denegeldis et Murdris et Hidajiis et..... Castellorum vel vivariorum, et Clausturæ Curiæ nostræ de fecham, et sectis Comitatuum et hundredorum, et auxiliis vicecomitum et eorundem ministrorum vel visu tithingorum, cum omnibus libertatibus, et liberis consuetudinibus, in ecclesiis, et in terris cultis, et .... . in Civitatem et extra Civitatem, in foro et extra forum, in Nundinis et extra Nundinas, in viis et semitis in silvis et segetibus in pratis et pascuis, in aquis aquarum et decursibus, in paludibus et piscacionibus, in piscariis et molendinis, in plateis et extra plateas, cum sache et sòchne, et Thel et Theam, et Infangene theof cum ..... tol et Watertol, et hamsocne et forestal, et Manbruche et Miskeninge, et Misweinge, et Forfeing, Ferdwite et Frithwite, et Blodwite, et Wardwite, et Hagwithe. Volumes etiam, et firmiter prohibemus, quod nemo Vicecomitum, procuratorum, exactorum vel ministrorum nostrorum, exigat ab eisdem Abbate et Monachis, vel hominibus eorum, thelonium, vel aliquam aliam consuetudinem, pro impeticione victûs vel vestitûs, seu plumbi vel mæremii, vel alterius cujuscunque rei. Unde homines ipsius Abbatis vel ipsorum monachorum, assecurare poterunt ad Abbatem vel monachos vel ecclesiam de Persorâ pertinere. Nec eisdem Abbati et monachis

vel eorum homnibus inquietus vel molestus vel infestus sit ullo tempore aut ullo modo se intromittere audeat eorum possessiones molestare aut empciones disturbare, sicut carta Domini Johannis Regis, patris nostri, rationabiliter testatur. Hiis testibus, Eustachio Londoniæ, Petro Wyntoniæ, Joscelino Bathoniæ, Ricardo Sarum Episcopis; Huberto de Burgo, Justiciario nostro; Ricardo de Argenteom, Radulpho filio Nicholai, Senescallis nostris; Henrico de Capella, et aliis. Data per manum venerabilis patris Radulphi Cicestriæ Episcopi, Cancellarii nostri, apud Westmonasterium, primo die Februarii, Anno regni nostri undecimo. Nos autem concessionem et confirmacionem predictas ratas habentes, et gratas eas pro nobis et heredibus nostris quantum in nobis est, dilectis nobis in Christo Abbati et Conventui loci predicti concedimus et confirmamus, sicut carta predicta rationabiliter testatur; et prout iidem Abbas et Conventus, et predecessores sui, libertatibus predictis hâctenus usi sunt, et gavisi. Hiis Testibus, Venerabilibus patribus, J. Norwic Episcopo, Cancellario nostro; W. Exoniæ Episcopo, Thesaurario nostro; Johanne de Britann, Comite Richemund; Adomaro de Valenciâ Comite Pembroch: Hugone le Despenser, Comite Wynton; Johanne de Segrave, seniore; Hugone le Despenser, juniore; Radulpho Basset de Drayton; et aliis. Data per manum nostram apud Eboracum, vicesimo die Julii, Anno regni nostri sexto decimo.

INSPEXIMUS ulteriùs literas patentes carissimi domini et patris nostri, Regis defuncti, factas in hæc verba; Henricus, Dei

graciâ Rex Angliæ, et Franciæ, et Dominus Hiberniæ, Omnibus, ad quos presentes literæ pervenerint, salutem.

INSPEXIMUS literas patentes Domini Edwardi, nuper Regis Angliæ, proavi nostri, factas in hæc verba; Edwardus, Dei graciâ Rex Angliæ, et Franciæ, et Dominus Hiberniæ, Omnibus, ad quos presentes literæ pervenerint, Salutem: Sciatis quòd nos, attendentes Abbathiam de Pershore, in vacacionibus ejusdem, temporibus preteritis, per vastum et destruccionem boscorum et nemorum ac aliorum ad Abbathiam illam pertinencium, per Escætores, et alios Custodes Abbatiæ illius temporibus progenitorum nostrorum, quondam Regum Angliæ, præter conscientiam et voluntatem eorundem progenitorum dampna quam plurima passam fuisse, volentesque, juxta formam statuti de custodiis temporalium Abbathiarum, et aliarum prelaciarum, Decanis et Capitulis, ac Prioribus, et Conventibus, earundem prelaciarum concedendis, in ultimo parliamento nostro, apud Westmonasterium tento, de communi consilio regni nostri Angliæ editi, necnon ad instantem requisicionem predicti Abbatis dictam Abbathiam illæsam impossitum a dampnis hujusmodi preservari, concessimus eisdem Abbati et Conventui, pro nobis et heredibus nostris, quòd Prior et Conventus Abbathiæ predictæ, et eorum successores, in singulis vacacionibus Abbatiæ ejusdem, quociens videlicet ipsam ex nunc vacare contigerit per mortem, cessionem, resignacionem, vel quovis alio modo, habeant et teneant custodiam Abbathiæ illius, et omnium temporalium ejusdem, cum omnibus rebus, et bonis ad eandem Abbathiam

qualitercunque spectantibus, adeo plene, et integrè sicut aliquis Abbas loci illius Abbathiam predictam et temporalia ejusdem cum omnibus rebus et bonis ad eandem pertinentibus sede plena aliquibus temporibus retroactis habere et tenere consuevit, vel nos, aut heredes nostri, custodiam illam, cum omnibus rebus & bonis predictis temporibus vacacionum predictarum, habere possemus, vel deberemus, si in manu nostrâ vel heredum nostrorum retenta fuissent. Ita quod predicti Prior et Conventus de temporalibus rebus, et bonis predictis, plenam et liberam administracionem habeant, et omnimodo emolumenta percipiant, ac inde disponere, et ordinare possint, prout eis melius et utilius videbitur faciendum. Salvis nobis et heredibus nostris, feodis militum, et advocacionibus ecclesiarum ejusdem Abbathiæ, hujus modi vacacionibus durantibus. Reddendo nobis et heredibus nostris in qualiter vacacione Abbatiæ illius, pro primis duobus mensibus triginta et sex libras, et si majori tempore duraverit vacacio illa, quàm per duos menses tunc ultra dictas trigenta et sex libras de summâ illâ solvant pro rata temporis quo vacacionem illam contigerit plus durare. Et volumus et concedimus pro nobis et heredibus nostris quod predicti Prior et Conventus et eorum successores in perpetuum habeant et teneant custodiam Abbathiæ predictæ singulis temporibus vacacionum ejusdem in forma predictâ, per quantum tempus duraverint vacaciones ejusdem Abbathiæ. Ita quod nullus Escaetor, Vicecomes, aut alius Ballivus, vel minister noster, aut heredum nostrorum, de custodiâ Abbathiæ illius Mainorum, Gainagiarum, aut aliarum rerum, seu honorum quorumcunque, ad dictam Abbathiam

spectancium, quoquo modo racione vacacionis illius se in aliquo intromittat, Hoc tamen excepto, quod Escaetor vel minister noster seu heredum nostrorum qui pro tempore fuit, infra portas tum Abbathiæ predictæ, in principio cujuslibet vacacionis ejusdem, quandam simplicem seisinam nomine nostri Regis dominium capiat, et ea sic capta statim exinde recedat, absque fidelitate seu recognitione ab aliquo tenente dictæ Abbathiæ, vel aliquo alio inde capienda seu etiam asportandâ. Ita quòd ultra unum diem occasione seisinæ predictæ moram ibi non faciat, nec aliquem ibidem substituat loco sui. Volumus insuper, et concedimus pro nobis et heredibus nostris, quòd si nos forsitan, vel heredes nostri aliquo tempore vacacionis predictæ Abbathiæ ex..... nostrum fecimus ..... predicti Prior et Conventus et successores sui pro propriis et dominicis feodis militum Abbathiæ illius, in manibus ipsorum Prioris et Conventûs..... ad servicium in eodem..... faciend..... illius molestent in aliquo seu..... set inde penitùs sint quieti. Salvis tamen nobis et heredibus nostris, serviciis feodorum militum, quæ tenentur de Abbathiâ predictâ temporibus vacacionum ejusdem, ad nos pertinentibus racione..... supradicti. In cujus rei testimonium, has literas nostras fieri fecimus patentes, Teste Edwardo Duce Cornubiæ, et Comite Cestriæ, filio nostro carissimo, Custode Angliæ; apud Kenyngton, sextodecimo die Julii, Anno regni nostri Angliæ quartodecimo; regni verò nostri Franciæ primo. Nos autem concessiones predictas, ac omnia alia et singula in cartis et literis predictis contenta rata habentes, et grata,

ea, pro nobis et heredibus nostris, quantum in nobis est, acceptamus, approbamus, et dilectis nobis in Christo nunc Abbati et Conventui loci predicti, et successoribus suis, tenore presencium concedimus, et confirmamus, prout literæ predictæ rationabiliter testantur. In cujus rei testimonium, has literas nostras fieri fecimus patentes; Teste me ipso, apud Westmonasterium, tricesimo die Octobris, Anno regni nostri primo. Nos autem concessiones predictas, ac omnia et singula in cartis et literis predictis contenta rata habentes et grata, ea, pro nobis et heredibus nostris, quantum in nobis est, acceptamus, et approbamus, ac dilectis nobis in Christo nunc Abbati et Conventui loci predicti, et successoribus suis, tenore presencium ratificamus, et confirmamus, prout cartæ et literæ predictæ rationabiliter testantur. In cujus rei testimonium, has literas nostras fieri fecimus patentes. Teste me ipso, apud Westmonasterium, viccsimo quarto die Maii, Anno regni nostri tricesimo primo.

WETTON.

Pro quadraginta solidis solutis in Hanaperio.

Examinata per Ricardum Wetton
et
Johannem Chamberleyn. Clericos.

J. Agg, Printer, Evesham.

[illegible] Cushion had a number [illegible] today
[illegible] on fair [illegible] long you [illegible] Pt. [illegible] Bay [illegible]

UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY
Los Angeles
This book is DUE on the last date stamped below.

LO
UNL

DISCHARGE-URL
MAR 1 1978

JUN 16 1978

Form L9-42m-8,'49 (B5573) 444

THE LIBRARY
UNIVERSITY OF CALIFORNIA
LOS ANGELES

DA
670
D7A54

An ancient confirmation deed relating to certain lands

3 1158 00162 5200

UC SOUTHERN REGIONAL LIBRARY FACILITY
A 001 436 905 2

DA
670
D7A54